

III. REGNUM MORTUORUM.

Nro. 75.

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita functos.*

Elysium-Meum.-Die Martis 31. Oct. 1809. (Noov. 13. Oct. 1809.)

Veteranus Germanicus (ut fert adagium) passer,
ad filium suum

Mentem tibi meam communicare cupio dilecte nate! stygias jam emensus undas; — multa in mundo expertus sum, mea doctrina uberem tibi discendi materiam suppeditabit.

Manes has subeuntes oras, ex vicinis regionibus narrarunt mihi: meditari te animoque volvere magnam in orbe fortunam — heus adolescens! nimis quam immaturus es, ad declinandas mundi insidias; non placet tibi amplius solacium tuberorum terræ mandare, prædium tibi relictum deserere, Americam petere, imo, ut mihi refertur, in Brasiliam vel Paphlagoniam migrare decrevistis; cur die, amabo, opes conquisiturus? audi, sis, quæ effundo de fortuna hominis oracula, scribo ea secundum Joannem Paulum.

Est fortunæ faber, quilibet ipse suæ, vetus aut adagium, & ita ne? si ita se res habet, tum aliqui in opificio salebrosissimo certe imperiti opifices sunt; interim solatii causa auribus nostris insurremus: sententias & paroemias ideo sæpe succindas universalesque esse, ne claudicent.

Cupis velociter promoveri? bene est, stude tantum præprimis magni Tonantis aureum imbrem in arculam tuam derivare; aureæ pennæ incredibilem induunt vim centri fugam, absque ea raro, aut nunquam ad modum Arolæ solem de facie ad faciem intueberis, instar anseris lente repes, imo Icarum fata experire. — Conare una sub umbra alarum potentis viri firmo niti talo. Omnibus niteas licet dotibus mentis & animi, opus expers culinula eris. Ille potenti suo te præsidio adversus rapaces milvos tueri debet, ille esse *praesidium dulceque decus tuum* — lupulus utilis planta est, at si bacillo se non acclinat facile conculcatur.

Favorem potentum aucuparis? — Adipris Gymnicum Politicæ ludum, subtiliorisque moris, disceque athletarum latus impetendi, & declinandi artem, qua callens centumque famam in tua stipendia accipe, est hæc, crede mihi tractabilis virgo; ubi ea stentorea sua voce tubas tibiasque animabat suas, tuorumque meritorum miriadem per fora circumgessit, tum prodi de secessu tuo, & libera fronte, simulata tamen prudentia veni offer voces tuas & opera. — Inter hæc non indecorum fuerit parumper ambitionem ostentare, & dici solet: utrumque adhibere calcar; quemadmodum in conclavibus formosularum ipse optime discere potuisti. —

Qui fortunam sectatur ad morem venatoris feram persequentis, is vectem non aspernatur, quo promoveatur. Adulatio puella

omnis ævi, mos omnibus moribus ætate præstans, quin unquam vetero francicus evadat, insignem tibi operam navabit, hanc quidem Philosophi velut assam foetidam contemplantur, at germanum, genuinum in puritate & pondere, ut dici solet, fortunæ Sæctatorem multo firmiterem, menteque cultiorem oportet, quam ut vanis mentis conceptibus sapientiam ruminantis viri patientem præbeat aurem.

Nævi hiatusque tui velo obducendi tibi sunt; prout feminæ suos obvelare solent. Contra: prærogativas si quibus gaudes, toti orbi patefacias oportet, ad exemplum callidi mercatoris, novissimas merces præponentis; ut tabernarios adjuvet; conditi latentisque cuniculi perspicuntur facili opere, venis licet turgeant aureis.

Munus adeptus quodpiam fidem tibi procurandi prima cura esto. Diversitor aut obsoniator ægre proficeret, mox in aditu operis sale redundantes dapes, & agreste vinum in vicem Hohemensis hospitum apponens mensis.

Dato vela ventis, quam primum faventibus, sequere torrentem dum fluctus vehementissime aguntur. Cur Fortuna refert muliebrem femina vultum? quod eadem fragilis; est ea gallus indicans tempestatem; sæpe femina mutat, stultus qui ei fidit, ait jure merito Galliarum Rex Franciscus primus; est ea despota, proin gente indulgens, non verax ænigmaticus magicus ludus, vacillans læna, que

albigantes suos, ut mulier gynecæi vestes mutat — sequere ejus vestigia etenim scabellum pedum ejus est — orbis. Ille amens est, ait immortalis Schiller, qui fortunam, superum donum, irresolubili amplexu non fortiter tenet.

Quidquid agis, velociter ege, si modo potentum gratiam obtinere cupis; argenti vivi similem vertagi naturam adoptare noveris, & continuo erectis excubare auribus, secus facturo, mox indignationis glacies tibi apponatur, felix potus porrigetur, & instar pastoritii canis fustibus titillaberis. Commiseratio phosphoricus ignis est animarum plebejarum, multum abhorret a dignitate albæ gallinæ filii — alterius fortuna concidit, quid tua refert? dummodo hac ruina spatium, aerem, lumen & materialia lucrifacias — magnæ oilæ in frusta diffringantur, quid curas, si ex his tu reliquiis nova pro usibus tuis vasa conficere possis?

Multis in casibus consultum est dotibus meatibus corporisque exornatum esse, patriam suam bene valere jubere, sedesque novis in regionibus quærere, domestici plerique vitro præjudicij opinionis vident, per raro æqui rerum æstimatores sunt. Statua ibi cum maximo vilipendio considerari solet, ubi antea in forma crudi marmoris frusti jacebat. — Fortassis incaute juvenis! Europam excedere vis, quod ubivis bellum ferat erras! oppido erras! circumspice, sis, paululum, — ubique pax confit, quid tibi negotii in America? ibi, ibi inquam bellum præparatur, quemadmodum ex seqv. ubertim intelliges:

Monitor de G. hujus continet litteras

Ministri Gallici externorum negotiorum ad Gen. Ducem Armstrong Ministrum plena rerum gerend. potestate instructum, Statuum foederatorum Americae in Gallia, datas Altenburgi die 22. Aug. quae sic sonant:

Sua Maj. certior facta navem Dom. tuæ in Americam expediendam esse, jubet Eidem immutabiles rationes communicare, quae ejus agendi modum occasione salebrosæ neutripartium adhaerentis quaestionis moderabantur, & moderabuntur.

Gallia principium adoptat: Verillum mercem securam præstare; Navis mercatoria quae a regimine suo expedita, est instar coloniae natantis consideranda; hanc navem pervestigando, perserutando aliisque actibus lædere, idem est quam violare jura Coloniae, idem est, quam attrectare Status cujuspiam *Independentiam*. — Maria non unius gentis, verum in Suo omnium gentium constituuntur, omnium proprietatem efficiunt.

Hostiles mercatoriae privatorum naves honorandae sunt. Singuli arma non gerentes bello capi non possunt. Occasione quarumvis occupationum suarum Gallia privatorum proprietati pepercit promptuaria & tabernae suis relictæ dominis, qui de mercibus pro lubitu disponere possunt; & hoc ipso temporis articulo societates plaustorum gossipio præcipue onustorum gallicum transeunt exercitum per Austriam Germaniamque ad locum quo commercium eos disponit, quod si Gallia *principia* belli maritimi adoptasset,

tum quaevis merces continentis in Gallia co-
servatae, saepe immensarum opum fons fuisse.
Hae procul omni dubio Anglorum praes-
tentiones futurae foissent, si in continente
prout mari praevaluissent. — Ad morem
barbari aevi, victi in mancipatum abducti,
eorum res merceque divisae fuissent. —
Mercatoria habendi cupido omnia ademisset,
& hic reditus ad barbaros mores opus fuis-
set regiminis apud cultam gentem, quae ar-
tes culturae perfacit. Hoc regimen nequaquam
latet injustitia maritimi Codicis sui, at quid
curat jus? utile solum in rationem vocat.

Ubi Gallia maritimam rem stabiliverit,
extensioni portuum, orarum & populationi
conformem suae, tum Imperator magis ma-
gisque has cogitandi rationes effectui datu-
rus conaturusque est, ut eae communem ac-
ceptionem consequantur; Jus, aut potius
praetensio medio Edicci flamina orasque ob-
sidendi tam animum commovens, quam in-
sipida est. Jus neutiquam ab arbitrio ge-
nioque alicujus de partibus, quarum interest,
deduci potest, ex natura rei id derivandum
est. Locus tum solum vere obsessus habend-
us, dum terra & mari undique clausus est.
Obsideretur is, ad prohibendas, quae deditio-
moram injicere possent, suppetias, tum so-
lum Jus enascitur naves neutrales ingressu &
accessu prohibendi, quod locus hic periculo
occupationis subsit, ejus dominium vacillet,
& controversum inter obsessum, & obsiden-
tem, ex quo consequitur jus parti neutri ad-
haerentem ab aditu arcendi.

Summitas & independentia navium in eadem ratione sunt cum independentia & summitate territorii, proprietas omnium neutralium gentium. Civitas alii se dedere, actum independentiae destruere, Imperantem mutare potest, at jura majestatica sunt indivisa, & insalienabilis, nemo parti eorum cedere potest, aut renunciare; — Anglia Galliam ad obsidionis statum collocavit; Imperator Decreto suo Berlino Britannicas Insulas, obsidionis in statu declaravit; prima agendi ratio neutrales naves a Gallia removit, altera eas Anglia interdixit. — Jussis secretioris conclavis suis de 11. Nov. 1807. Anglia neutrales naves praestationibus subjecit, obligationemque injunxit, portus suos subeundi prius, quam ad destinatum locum concesserint — vigore decreti de 17. Dec. c. a. Imperator, naves, quarum vexilla violata sunt, dignitate orbavit, & gentis jure excidisse (exnationalitas) declaravit. America, actus violentiae, qui haec rerum adjuncta commercio ejus imminuebant, evitatura, Interdictum in portibus suis edidit, & quamvis Gallia, repressaliis solum usa, hac agendi ratione, quod sua, & Colonialium suarum interest, violatum viderit, nihilominus Imperator nobili decreto, omni commercio renunciandi assensit potius, quam tyrannorum maris dominatui subscriberet. Interdictum revocatum, ei systema exclusionis surrogatum est. Status Continentis Anglia foederati communem causam faciunt, eun-

tum quaevis merces continentis in Gallia co-
servatae, saepe immensarum opum fons fuisse.

Haec procul omni dubio Anglorum praesentiones futurae fuissent, si in continente prout mari praevaluissent. — Ad morem barbari aevi, victi in mancipatum abducti, eorum res mercesque divisae fuissent. — Mercatoria habendi cupido omnia ademisset, & hic reditus ad barbaros mores opus fuisset regiminis apud cultam gentem, quae artes culturae perfecit. Hoc regimen nequaquam latet injustitia maritimi Codicis sui, at quid curat jus? utile solum in rationem vocat.

Ubi Gallia maritimam rem stabiliverit, extensioni portuum, orarum & populationi conformem sese, tum Imperator magis magisque has cogitandi rationes effectui daturus conaturusque est, ut eae communem acceptationem consequantur; Jus, aut potius praesentio medio Edicci flumina orasque obsidendi tam animum commovens, quam insipida est. Jus neutiquam ab arbitrio genioque alicujus de partibus, quarum interest, deduci potest, ex natura rei id derivandum est. Locus tum solum vere obsessus habendus, dum terra & mari undique clausus est. Obsideretur is, ad prohibendas, quae deditio moram injicere possent, suppetias, tum solum Jus enascitur naves neutrales ingressu & accessu prohibendi, quod locus hic periculo occupationis subsit, ejus dominium vacillet, & controversum inter obsessum, & obsidentem, ex quo consequitur jus parti neutri adhaerentem ab aditu arcendi.

Summitas & independentia navium in eadem ratione sunt cum independentia & summitate territorii, proprietas omnium neutralium gentium. Civitas alii se dedere, actum independentiae destruere, Imperantem mutare potest, at jura majestatica sunt indivisa, & insalienabilia, nemo parti eorum cedere potest, aut renunciare; — Anglia Galliam ad obsidionis statum collocavit; Imperator Decreto suo Berlino Britannicas Insulas, obsidionis in statu declaravit; prima agendi ratio neutrales naves a Gallia removit, altera eas Anglia interdixit. — Jussu secretioris conclavis suis de 11. Nov. 1807. Anglia neutrales naves praestationibus subjecit, obligationemque injunxit, portus suos subeundi prius, quam ad destinatum locum concesserint — vigore decreti de 17. Dec. c. a. Imperator, naves, quarum vexilla violata sunt, dignitate orbavit, & gentis juribus excludiase (exnationalitatis) declaravit. America, actus violentiae, qui haec rerum adjuncta commercio ejus imminuebant, evitatura, Interdictum in portibus suis edidit, & quamvis Gallia, repressaliis solum usa, hac agendi ratione, quod sua, & Coloniarum suarum interest, violatum viderit, nihilominus Imperator nobili decreto, omni commercio renunciandi assensit potius, quam tyrannorum maris dominatui subscriberet. Interdictum revocatum, ei systema exclusionis surrogatum est. Status Continentis Anglia foederati communem causam faciunt, eun-

dem finem praestitutum habent, eadem com-
moda percipere, at & periculis iisdem se
exponere debent, portus Hollandici, Albis,
Visurgis, Italiae & Hispaniae nullum emo-
lumentum percipient, cujus portus Galliae
expertes forent. Unus aeque ac alter eodem
tempore commercio, cujus gratia adiri pos-
sunt, aperientur, aut ocludentur.

His ad effectum perductis agnoscit Mi
Domine! Gallia libertatem, neutralium in-
dependeniam Statuum maritimarum pro prin-
cipio stabilendam; agnovit eum usque illum
temporis articulum, quo tyrannide maritima
Angliae, quae nihil sacrum habebat, arbi-
trariaeque regiminis ejus actiones eam ad uten-
dam repressaliis adegerunt, quam invita
solum arripuit. Anglia declarationem obsi-
dionis Galliae revocet, tum haec decretum
Obsidionis Angliae retractabit. Anglia Jussu
Cabinet de 11. Nov. 1807. retrahat & De-
cretum Mediolani editum suapte vigore de-
stituatur. Commercio Americano omnis liber-
tas redibit, & certum esse poterit favoris
praesidiique in portibus Gallicis. At foedera-
tis Statibus incumbit felicitum horum re-
sultatorum sua constantia apud eam effectum
procurare. Angens quaequam, libertatis & in-
dependentiae suae studiosa aliquot momenta-
nea emolumenta eximio emolumento inde-
pendentiae & honoris sui conservationis, suae
majestatis, suae dignitatis in dubiam com-
parationem perducere potest? Dignetur Do-
minatio &c. *Subscr. C. Champagny.*